



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Ioannis Cochläei De Actis Et Scriptis Martini Lvtheri Saxonis

Cochlaeus, Johannes

Parisiis, 1565

Caroli Qvinti Romanorum Imperatoris, semper Augusti, Edictam, contra
Nouatores Orthodoxae & Catholicae Religionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29789

CAROLI QVINTI ROMANO- rum Imperatoris, semper Augusti, Edictam, contra Nouatores Orthodoxæ & Catho- lica Religions.

CAROLVS Quintus, diuina fa-
uente Clemencia electus Ro-
manorum Imperator, semper
Augustus, ac Germaniæ, Hi-
spaniarum, vtriusque Siciliae,
Hierusalem, Vngariæ, Dalma-
tiæ, Croatiae, &c. Rex: Archidux Austriae, Dux
Burgundiæ, Brabantiae, Styriae, Charinthiae,
Carniolæ: Comes Habsburgi, Flandriae, & Ty-
rolis &c. Vniuersis, & singulis sacri Romani
Imperij Electoribus, a iisque Principibus, tam
Ecclesiasticis quam Sæcularibus: Archiepisco-
pi, Episcopis, Prælati, Ducibus, Marchioni-
bus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Mi-
lilibus, Clientibus, Præfectis, Præsidibus, Iu-
dicibus, Scultetis, Burg magistris, Consuli-
bus, Scabinis: Ciuitatum, Oppidorum, Vil-
larum, Terrarum, & quorumvis aliorum lo-
corum Communitatibus: necnon Vniuersi-
tatum Studiorum siue Gymnasiorum Recto-
rum

*Considera piæ
Lector, ex ver-
bis Pauli Ro-
13. quæta per
tot annos sub
secuta sit ani-
marum perdi-
tio, q. e huic
Edict. pa-
re n. glexe-
runt.*

Rr

ribus, & locum tenentibus, seu Officialibus eorundem, ac cæteris quibuscunque nobis, tã iure sacri Imperij quam hæreditario, aut alio quocunque modo subiectis: & fidelibus dilectis, cuiuscunque status, gradus, aut conditionis sint, & ad quos præsentem, vel earundem exemplum, nostro, vel alicuius Prælati Ecclesiastici sigillo, siue etiam publici Notarij manus subscriptione, communitum peruenierit, gratiam

*Officiũ Ro.
Imperatoris
& Germaniæ
Principum.*

Cæsaream, & omne bonum. Ad veri Romanorum Imperatoris officium pertinet, non solum fines huius sacri Imperij: quod prædecessores nostri, Germaniæ Principes, ob defensionem sanctæ Romanæ & Vniuersalis Ecclesiæ, suo suorumque sæpius effuso sanguine, per diuinam gratiam, sibi quaesierunt, ad Orthodoxam viam adductis, vel expulsis infidelibus, propagare: Verum etiam, ne qua hæreseos labe aut suspitio, in iam sibi subditis Nationibus sanctam Religionem nostram cõmaculet, summo studio prouidere: At si qua iam orti ceperit, eam omni ope, omnique cura, iuxta Normam, à Sancta Romana Ecclesia hæctenus obseruatam, delere penitus & extinguere. Quod si quis alius è Maioribus nostris, tanto nos magis prestare debemus, quanto Dei Opt. Maximi immensa benignitas Nobis plura Regna & Dominia, pluresque & magis bellicosos populos, maioresque vires, quàm iam multis sæculis alicui Principi, qui hisce titulis sit potius, ad suam sanctæ fidei tutelam & incrementum, elargiti dignata

Maior Caroli V. quam aliorum ante imperatorum ad fidem obligatio.

gnata est. Accedit, quòd quum ex paterno genere, è Christianissimis Imperatoribus & Archiducibus Austriae, Ducibusque Burgundiae: Ex materno vero, Catholicis, Hispaniarum, Siciliae, & Hierusalem Regibus, sumus orti: quorum omnium, pro fide Christiana, res praecclare gestas, nulla vnquam delebit obliuio: Non sine graui conscientiae nostrae onere, & perpetua nominis nota, quadamque veluti nebula, felicibus ineuntis Principatus nostri auspiciis offusa, factum crederetur, si, quae iam ab hinc triennium pullulare in Germania coeperunt, nouas quasdam haereses, immo verius iam saepe olim per Concilia, & summorum Pontificum decreta, approbante Ecclesia, damnatas, & nunc denuo, veluti ab Inferis erutas, altiores iacere radices, vlla nostra negligentia passi esse videamur. Sane, vestrum neminem igno-
 tate existimamus, quibus erroribus & haeresibus, ab Orthodoxa fide longe alienis, quidam frater Martinus Lutherus, Ordinis sancti Augustini, Religionem Christianam, in hac praesertim Inclita Germanica Natione, omnis infidelitatis & haeresum perpetua oppugnatrice ita inficere conetur, vt nisi maturè occurratur, tota haec Natio, & deinde serpente contagione vniuersa Christiana Respublica, in abominandum schisma, & bonorum morum pacisque, ac tandem detestanda sui perniciè, pro lapsura videatur. Quapropter, nõ immerito comotus sanctissimi in Christo Pater, Dominus Leo X. sacrosactae

Rr ij

*Lutherus à
 Leone X.
 Pont. & à
 Carolo V.
 imp haereses
 notatus.*

EDICTVM VVORMACIENSE

Romanæ & Vniuersalis Ecclesiæ Summus Pö-
 tifex: ad quem fidem Catholicam, & Ecclesiæ
 Sacramenta curare spectat, prædictum Marti-
 num à principio cleméter & paterne monuit,
 & hortatus est, vt à nephandis huiusmodi in-
 ceptis desisteret, & iam sparsos errores reuo-
 caret. Quod cum ille neglexisset, & peiora sem-
 per prioribus adderet: idem Beatissimus Pater,
 ad opportuna, neque tamen insueta remedia
 procedere statuit. Itaque conuocatis sapientibus
 Reuerendissimis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Car-
 dinalibus, Episcopis, ac aliis Prælatibus, necnon
 Regularium ordinum Prioribus seu Ministris
 generalibus, accersitisque pluribus scientia &
 probitate præstantibus viris, & in omni doctri-
 narum & linguarum genere eruditis, ac diuer-
 sarum Christianorum Nationum Doctoribus
 & Magistris: Prædicto tamen Martino prius
 vocato ac citato, ac in contumacia persistente,
 ipsius scripta, tam Alemanico quam Latino ser-
 mone edita & edenda, vt perniciosæ, & fidei vni-
 tatiq; Ecclesiæ cõtraria, Authoritate sua Apo-
 stolica, præfatorumque ad hoc accedente Car-
 dinalium consilio & assensu, ac Episcoporum
 & Prælatorum, Doctorumque & Magistrorum
 matura deliberatione, damnauit, & vbique lo-
 corum comburenda, prorsusque abolenda cen-
 suit & decreuit. Martinum verò ipsum, nisi in-
 fra certum expressum terminum, à publicatio-
 ne Decreti sanctitatis suæ, mutata sententia, se
 errores suos reuocasse, & ad pœnitentiam re-
 diisse,

*Processus iu-
 ris contra Lu-
 the.*

fuisse, docuisset: vt inobedientię & iniquitatis
 filium, vt schismaticum & hæreticum ab om-
 nibus euitandum, & pro vt iura postulant, pu-
 niendum declarauit, sub pœnis & cœsuris, quę
 in Apostolicis literis, Bulla plumbea commu-
 nitatis, & super hac re æditis, latius continetur.
 Quas ad Nos, utpote Christianę fidei verum
 & supremum propugnatores, & Sedis Apo-
 stolicę, sanctęque Romanę & Vniuersalis Ec-
 clesię Primarium filium, & Aduocatam, per
 suum, & dictę Sedis spirituales Nuncium &
 Oratorem, honorabilem virum nobis dilectũ,
 Hieronymum Aleandrum, eiusdem Sedis Pro-
 tonotarium, & Apostolicę Bibliothecę Præfe-
 ctum, dedita ad hoc opera, misit: petens atque
 requirens, vt pro officio ac debito Imperialis
 dignitatis, in vniuerso primum Romanorum
 Imperio, deinde (quod Catholicum Regem &
 Christianum Principem decet) in ceteris etiam
 Regnis, Dominiis, & Prouinciis nostris, & præ-
 fertim in Germania, præstito in auxilium fidei
 Catholicę brachio seculari, omnia & singula
 in iam dictis literis Apostolicis contenta, inui-
 labiliter obseruari, & executioni mandari iu-
 beremus. Post quas quidem prædicto Marti-
 no factas à Summo Pontifice, Monitionem, Vo-
 cationem, Citationem, & ipsius tandem Con-
 demnationem, necnon presentatas Nobis eius-
 dem Beatissimi Patris literas, Bullamque Apo-
 stolicam, per varia & diuersa loca Germanię
 publicatam, & nostro iussu & mandato, non so-

Rr iij

*Aduocatus
 Ecclesię Ro.
 imperator.*

*Hier. Alean-
 der Nuncius
 Apostolicus.*

*Executio con-
 tra libros Lu-
 the.*

EDICTVM VVORMACIENSE

lum Louanij in Inferioribus Dominiis nostris: Verum & Coloniae, Treueris, Moguntiae, Leodij, executioni demandatam, tantum abfuit, ut idem Martinus respiceret, errataque sua reuocaret, & petita ab solutionis venia, in gratiam cum Summo Pontifice & sancta Ecclesia redire procuraret, ut etiam detestabiliores peruersi ingenij sui fructus indies æderet, & perinde, ac in manifestam Ecclesiae perniciem, furens tueret, complures aceruatim libros, non modo nouarum, sed etiam à sacris Conciliis olim condemnatarum hæresum plenos: nec solum Latino, verum etiam, ut facilius vulgus peruerteret, Alemanico sermone à se compositos, vel saltem suo nomine æditos, ferè quotidie diuulgaret. In quibus (bone Deus) obseruatum ab Ecclesia iam tot sæculis, septem Sacramentorum numerum, ordinem, vsum, dissipat, confundit, deturbat: inuiolatas Matrimonij leges, miris modis fœdissime inficit: Extremam Vtentionem cum Viicleuo fictionem dicit: Communicandæ sacratissimæ Eucharistiæ ritum, ad damnata Bohemorum reuocat instituta. At saluberrimam contaminatis peccato mentibus Confessionem primum ita inuoluit, ut confusionem eam è Confessione fecerit, mox etiam magna in parte conuellit: postremo, adhuc peiora se de ea scripturum minatur. Vnde nonnulli iam (ut accepimus, quod vel auditu est intolerabile) sumpta hinc occasione, de Confessionis instituto & modo cæperint subdubitate.

*Maior inde
contumacia
Lutheri.*

*Luth. contra
Confessionem
peccato. um.*

are. Alij mutilatam & truncam fecerint: Alij
 vero (proh scelus) & confiteri ipsi destiterint, &
 nequaquam esse confitendum publice asserere
 sint auli. Porro sacerdotalem ordinem, & per
 quod sacrosanctum Christi corpus sanguisque
 conficitur, diuinum illud munus clauiumque
 celestium potestatem, non solum vilissimi pen-
 dit Lutherus, & Laicis puerisque, atque adeo
 feminis ipsis, communia facit: sed & eosdem
 Laicos, ad lauandas sibi in Sacerdotum sangui-
 ne manus, incitat. Ipsum verò summum no-
 stræ Religionis Sacerdotem, diui Petri succes-
 sorem, & verum in terris Christi Vicarium, nõ
 nisi infamibus & probrosis nominat verbis, &
 frequentissimis atque inauditis Inuectiuis con-
 tumeliis, & blasphemis insectatur. Liberum
 arbitrium proors nullum esse, sed omnia cer-
 ta lege stare, ex Manichæi quidem & Vuicleui
 penu depromit: Sed tanquam irrefragabili ar-
 gumento Ethnicorum Poëtarum carminibus
 confirmat. Missæ venerabile Sacramentum ne-
 que defunctis, neque viuis aliis, quam soli ce-
 lebranti suffragari scribit. Ieiuniorum & Ora-
 tionum institutionem, & consuetudinem, ab
 Ecclesia obseruatam, inuertit & corrumpit.
 De Purgatorio, & Animarum, quæ in co ex-
 piantur, statu, deque diuini sacrificij & venia-
 tum suffragiis, quæ à nobis fideles defuncti ex-
 pectant, cum Vualdensibus & Vuicleuistis cõ-
 tra Ecclesiam sentit: De Ecclesia vero ipsa mi-
 litante, cum Pelegianis & Hussitis. At sanctorũ

Rr iij

*Contra Ordi-
nem sacerdo-
talem.**Contra lib.
arbitrium.**Alij permulti
errores Luthe.*

Patrum auctoritates & scripta, ab Ecclesia recepta, pro nihilo habet. Est vbi etiam sapere deridet, debitumque illis cultum & deuotionem deterit & diminuit. Obedientiam, & Regimen omne prorsus tollit. Vnde populi ad defectionem & rebellionem à suis, tam spiritualibus quam temporalibus Dominis faciendam, ad rapinas, caedes, incendia, cum magno & manifesto Christianæ Reipublicæ discrimine, prouocentur. Quinimmo, quum vitam quandam solutam, licentiosam, atque ab omni lege excitam, & vere ferinam inducere conetur, ita exlex homo, leges ipsas omnes damnat & contemnit, vt Decreta sanctorum Patrû, & sacros Canones, publico igni comburere non formidauerit: facturus peiora Ciuili iuri, si non magis sæculi gladium, quam Pontificis excommunicationes & censuras metuisset. Iam verò sacrosanctis Conciliis palam contradicere, & pro suo arbitratu detrahere, non erubescit. E quibus potissimum Constantiense illud, quod cum perpetua Inclytæ Germanicæ Nationis gloria, pacem & tranquillitatem dissidenti Ecclesiæ dedit: ita vbiq; mordet, & impuro sceleratoque ore lacerat, vt in magnum vniuersalis Ecclesiæ dedecus & offendiculum, sed Germanicæ præsertim Nationis opprobrium & ignominiam, Concilium ipsum nunc pessime omnium errasse scribar: nunc Synagogam Sathanæ quique in eo conuenerant, & Ioannem Hussitam hæresiarcham comburi iusserant. Sigismundum

Seditiosus Lutherus.

Exlex Lutherus.

Luth. contra Concilium Constantiense.

vtique

utique fœlicis recordationis Imperatorem, & Sacri Imperij Principes, Antichristum, & suos Apostolos, homicidasque & Pharisaos, vocet. Quid, quod damnata in eodem Concilio omnia Ioannis Hussitæ errata, Euangelica & Christiana esse, & se recipere, probaturumque profitetur: Approbatos vero eiusdem Hussitæ articulos, nequaquam admittit. In tantamque prorupit mentis vefaniam, vt si semel Ioannes Hussita fuerit hæreticus, se plus decies hæreticum Martinus gloriatur: homo vsque adeo no-uarum rerum ac potius perditionis humanæ cupidus, vt nihil fere scripserit, vel saltem suo nomine diulgauerit, cui non aliqua pestis, aliusque lethalis insit aculeus: præter illos libros, ne nominandos quidem, ob execrandam eorum materiam, ipsius tamen titulo aditos, & ab eo cum reliquis vt suos agnitos, quorum singula verba, singula venena merito quis dicat. Et ne omnia, quæ innumerabilia sunt Lutheri errata, singulatim percenseantur, tanquam hic vnus, non homo, sed Diabolus ipse, sub hominis specie, ad perniciem humani generis, assumpta Monachi cuculla, quam plurimorum hæreticorum damnatissimas hæreses, iamdiu sepultas, in vnâ sentinam congesserit, & aliquas etiam nouissime de suo excogitauerit, sub simulata prædicatione fidei, quam ad prætexendos suos dolos, tam sæpe, tantoque opere obicit: Fidem veram prorsus destruit, sub libertatis, quam promittit, specie: Diaboli iu-

*Pestilens Lu-
the.*

*Luth. non ho-
mo, sed Dia-
bolus, sub spe-
cie hominis.*

EDICTVM VVORMACIENSE

gum & seruitutē inducit, & sub Euāgelicē pro-
 fessionis nomine, omnē Euāgelicā pacē & cha-
 ritatem, omnemq; rerum ordinē, & pulcherrimam deniq; totius Ecclesiæ faciē inuertere, la-
 befactare, & penitus pessundare molitur. Qui-
 bus omnibus per Nos, & cōsilia nostra omnium
 Nationū nobis subditarū, sapius & diligenter
 attentis & Consideratis, & præsertim in hac
 parte ab eodem Beatissimo Patre requisiti: abs-
 que insigni macula nostra, atq; Orthodoxæ Re-
 ligionis iniuria & detrimento, rem tã potēdis
 negligere nequaquā potuimus, vt etiā non de-
 buimus, neq; voluimus: Sed potius prædeces-
 sorum nostrorum, Romanorum Imperatorū,
 vestigiis insistentes, eorumq; pro libertate Ca-
 tholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ perpetuo lau-
 dabilia facta, ac pias & sanctas, super puniendis
 & exterminandis hæreticis, constitutiones ob-
 seruantes, conuocatis sapius ad præsentiam no-
 stram, propter hoc præcipue, Electoribus: nec
 non vniuersis sacri Romani Imperij Ordinib;
 & Statibus, in hoc Vuormaciensi Conuētū cō-
 gregatis, de eorum omnium & singulorū vna-
 nimi consilio, matura deliberatione & cōsen-
 su, in hanc tandem deuenimus sententiam &
 conclusionem, Vt quamuis hominem, ita à
 Summo Pontifice & Sede Apostolica condem-
 natum, & in sua obstinata peruersitate obdura-
 tum, atque ab vsu Catholicæ Ecclesiæ alienum,
 & Notorium hæreticum audire, omni iure
 exceptum esset: tamen ad tollendam omnem
 cauillandi

*Edictū Vuor-
 maciense, om-
 nium & sin-
 gulorū Prin-
 cipum ac Sta-
 tuum Imp-
 consensu con-
 stitutum.*

*Sententia &
 Conclusio
 Edicti.*

cauillandi ansam (Idque, quia nonnulli plerumque libros Martino ascriptos, ipsius esse apertissime inficiebantur) complures audientium à Nobis prius hominem, quam in eum ad executionem Pontificij Decreti ulterius procederemus, asseuerabant, Martinum sæpeditum, misso ad ipsam, dedita opera, vno è Caduceatoribus seu Præconibus & Heraldis nostris, sub libero huc veniendi & hinc recedendi saluo conducto, accersiri iuberemus: Quod & factum fuit. Non vt nos de hoc negotio iudicaremus, aut cognosceremus (quum id dubio procul ad Romanum Pontificem, & Sedem Apostolicam pertineat) neque vt res sacrosanctæ fidei nostræ, nunc tandem, post tot sæcula, per nouas altercationes, cum magno fidelium scandalo & perturbatione, ac infidelium derisione, in conerouersiam reuocari pateremur: Sed vt cum vulgi & plurimorum ita petentium satisfactione, hominis animû percontantes, eum bonis monitionibus & suasionibus, ad rectam semitam (si fieri posset) reduceremus. Itaque Lutherum in nostra, & sacri Imperij Electorum, Principum, Prælatorum, & Statuum, præsentia constitutum, iuxta formam Imperialis mandati, super hac re nuper æditi, interrogari iussimus. Primum, Non quid ipse multos libros sibi ob oculos adductos, & titulatim nominatos, & alios item, qui sub suo nomine circumferuntur, composuisset. Deinde, an ea, quæ in ipsis libris con-

Euocatio Lutheri sub saluo conducto.

Interrogatus Lutherus in publico confessione. Cas. & Prin. Imperij.

tra sacra Concilia, Decreta Patrum, ritus & cō-
suetudines, à nostris maioribus ad hunc usque
præsentem diem obseruatas, scripsit: ita reuo-
care vellet, & ad sinum & vnitatem vniuersalis
Ecclesiæ redire, adhibitis ad hoc nostro & Im-
perij nomine admonitionibus & adhortatio-
nibus, quæ obstinatissimum hominem (etiam
lapide duriores) emollire, & conuertere po-
tuisset. Qui sane statim libros ipsos antedi-
ctos vt suos agnouit, & confessus est, & nun-
quam se id negaturum protestatus: Immo &
adhuc alios se composuisse dixit, quorum co-
pia, cum nobis non fuisset facta, idcirco in me-
dium non fuerant allati. Quantum vero ad re-
uocationem attinet, terminum sibi ad respon-
dendum dari petiit, qui quamuis merito negari
potuisset, tum quia nouitates & errores in si-
de nulla sunt dilatione tractandi, sed statim pe-
nitus rescandi: Tum quia ex mandato nostro
sibi legitime insinuato, necnon etiam literis,
quas ad eum dederamus, optime admonitus,
quam ob causam vocaretur, non nisi statim re-
spondere paratus, ad tantum Imperialis Con-
uentus confessum venire debuisset: Tamen ex
nostra Clementia & benignitate, vnus adhuc
diei terminum ad respondendum sibi dedimus.
Quo elapso, rursus coram Nobis, & prædictis
Ordinibus Imperij comparès, & similibus ad-
hortationibus sepius, vt ad cor rediret, eslagi-
tatus, pollicentibus etiam nobis, si resipisceret,
erroresque suos agnosceret, & quæ in suis libris
damnata

*De reuocan-
do petiit Lu-
the. terminum
deliberandi.*

*Proteruum
responsum Lu-
theri de non
reuocando.*

dānata & mala essent, reuocaret: facile nos impetraturos, vt à Beatitudine Pontificis in gratiam benigne reciperetur, & adhibito fidei, æquo, & diligenti examine, ex ipsius libris, quę mala scripserat, scernerentur: quę vero bona, Authoritate Apostolica approbarentur. Sed ne verbum quidem in suis libris mutaturum, imprudentibus simul & impudentibus verbis, orisquę & corporis gestu, quoduis potius, quā religiosum aut sanū hominē prę se ferēte, apertissime negauit. Quinimmo, in nostrā & sacri Imperij faciē, Summorum Decreta Pontificū, & Concilia ipsa sacrosancta, errasse sepius, & sibi ipsis contradixisse, & tandē nullius apud se momenti fore, asseuerauit: seque nihil ex his, quę scripserat, reuocaturum, nisi euidenti sibi ratione, & sacre scripture authoritatibus, ad sue conscientię animique satisfactionem & assensum fuerit conuictus: illud subinde repetens & inculcans (quo fraudum suarum virus, iam multis detegi cęptum, occultaret) conscientia sibi illegsa & integra neque velle se, nec posse verbū Dei immutare: Mala mēs, malus animus. Quasi vero Nos id ab eo peteremus, vt verbum Dei immutaret, ac non potius, vt iuxta verbum Dei verum, ad gremium sanctę matris Ecclesię, à qua tam impie quam turpiter defecerat, rediret. Cuius Authoritatē, quum tantam voluit esse Dominus, idemq; Deus noster Iesus Christus: Vt qui Ecclesiā nō audierit, tāquā Ethnicus & Publicanus sit habēdus. Idcirco nō inmerito

*Mala mēs
malus animus.*

Math. 18.

vel eam solam omnibus inuentionibus, & va-
 fragmentis hereticorum longe anteferendam ne-
 mo nunquam, nisi perditissimus & vere hereti-
 cus, & Lutherus iudicauit, qui vt tandē egregia
 sua hic acta condigno sine clauderet, & quod
 pessime inceperat, peius terminat, & quid ani-
 mi habeat, & quā fidelium clade exulcet, vel
 in nostro & sacri Imperij cōspectu dissimulare
 non potuit. Nam detorta (vt hæret cis mos est)
 à vero sensu ad suam impietatem Euangelica il-
 la sententia: Non veni mittere pacem, sed gla-
 dium. Omnium sibi, dixit, iucundissimā vitam
 in rebus faciem videri, ob verbum Dei, studia,
 & dissensiones fieri: Id est (quod vtinam ne ex-
 perientia videremus) ob dissidentes ab Ecclesie
 ritu Lutheri opiniones, quas verbi Dei falso ti-
 tulo prætexit, vere studia contraria, & dissensio-
 nes, & dissidia, & schismata, & bella, & cædes, &
 rapina, inter Christianos concitari. Tali igitur,
 & tā subdola, atq; hereticis omnib⁹ peculiari,
 respōsione, Nobis, & sacro Imperio à Luthero
 data, etsi decreueramus, ipso statim remisso, ad
 vltiora progredi (id quod ex sententia nostra,
 manu nostra scripta, & postera die publicata,
 nemini nō cōstare potest) Tamē ad preces om-
 niū Imperij Ordinū inclinati, adhuc ipsi tridū
 ad respiciendū cōcessim⁹. Quo tēpo e duo Ele-
 ctiores, duo Episcopi, duo Principes seculares,
 duoq; Ciuitatū nomine, Vniuersos Ordines, &
 Status sacri Romani Imperij representantes, &
 ad hoc communi omnium iussu & nomine de-
 putati,

*Detortum ad
 dissidia ver-
 bum Christi:
 Non veni pa-
 cem mittere,
 sed gladium.*

*Admonitio,
 per Principes
 imperij ha-
 bita cum Lu-
 thero*

putati, vocato ad se Martino prædicto, nullum non admonendi & adhortandi eum, vt tandem resipisceret, & nisi id faceret, quæ ipsum à Nobis, & sacro Imperio, legumque constitutionibus pœnæ manerent, declarandi officium frustra insumperunt. Vnus etiam eiusdem sacri Imperij Elector, adhibitis secum duobus Doctoribus, pietate & scientia præclaris, non solum adhortationibus: sed etiam multorum eorum euidentibus redargutionibus, ad ipsius vsque obmutescentiã factis, mox seorsim ipsam prudenter & humane commonefecit, vt ad Summi Pontificis, & Sedis Apostolicæ, Nostri, & sacri Imperij Statuum, & cæterarum fidelium Nationum, sanam sententiam, iuxta continuatum tot sæculis Ecclesiæ ritum, potius, quam ad suam vnus opinionem, respeceret. A qua si recedens, in ordinem redire vellet, id se primum nonnullorum sanctorum patrum, qui & ipsi aliquando errauerunt, laudabili exemplo, deinde salis, anima, corpore, & honore, facturum cognosceret. Ad quæ Martinus ante dictus, etsi varia pleraque & diuersa, cumque eis, quæ scripserat, pugnãtia: nihilo tamen meliora, aut saniora, priuatim respondit, quam publice, corã Nobis, & sacro Imperio, fecerat. Atq; adeo se, nõ omnes modo supra memoratos, sed & Conciliũ ipsũ generale (si quod fieret) respectũ habere protestatus est. Et (vt certissimo, & omni exceptione maiori, testimonio nobis cõstat) pollutissimo & sceleratissimo

*Proteruum
respõsum
ihc. contra
Concilium.*

ore profari non est veritus, res Euangelij & Catholicae fidei, nunquam fuisse in Concilio generalibus bene tractatas. Vnde non iniuria plurimum nobis mirari subiret, curnam à Summi Pontificis sententia, ad generale Concilium nuper prouocari, quum tam impie de Conciliis ipsis loquatur & scribat, nisi manifeste sciremus, vt nihil est hæreticis æquè formidabile, atque œcumenicum Concilium: ita nihil illis iisdem magis proprium esse, quàm vt dictis factisque & scriptis, secum ipsi dissideat. Quod si vsquam alibi, præcipue in Lutheri libris (diuina prouidentia sic operante, quo ipsius vana ædificia per se ruant) passim legere & videre est.

His omnibus & singulis, sic omnino, vt præmittitur, se habentibus, quum prædictus Martinus, tam peruerse & obstinate, in suis adeo manifeste hæreticis opinionibus persisteret, vt ab omnibus iis, qui sapiunt, partim demens, partim etiam malo aliquo obsessus spiritu, iudicaretur. Nos, iuxta tenorem salui conductus, ipsum statim à conspectu nostro missum fecimus, datoque sibi in comitatu vno ex Heraldis nostris, & præscripto termino, à die vicesima quinta mensis Aprilis, qua ex Vuormacia discessit, ad viginti deinde proxime futuros dies, quibus peractis, vnà saluus conductus peractus & extinctus censeretur. Nunc tandem ad reliquas opportunas medellas, huic pestilentissimo morbo necessarias, in hunc qui sequitur modum, procedere decreuimus.

Primum

Remissus Lutherus in saluo conductu.

Primum omnium, ad honorem Dei omnipotentis, Romanique Pontificis, & sanctæ Sedis Apostolicæ debitam reuerentiam, pro Imperiali dignitatis officio ac debito, necnon zelo & studio, quo nostrorum maiorum more, & ingenita etiam Nobis vi, ad defensionem Catholicæ fidei, sanctæque Romanæ & vniuersalis Ecclesiæ honorem, tutelam & protectionem, omnes nostras vires & facultates, Imperiū, Regna, Dominia, amicos, vitam denique & animā ipsam nostram, exponere sumus parati. Ex Imperiali & Regia autoritate, necnon consilio & assensu Electorum, & omniū sacri Ro. Imp. Principum, Ordinum, & Statuum, in hac celeberrima & frequētissima Imperiali Dieta Vuorinaciacæ congregatorum, ad perpetuam rei memoriam, exequendo sanctissimi domini nostri Papæ, veri in hac parte iudicis, sententiam, decretum & condemnationem, in literis Apostolicis (vt supra dictum est) ad Nos directis contentam, Martinum Lutherum, vt membrum ab Ecclesia Dei ab alienum, vt obstinatum schismaticum & Notorium hæreticum, à Nobis haberi declaramus, & vt talem à vobis omnibus & singulis habendum decernimus & edicimus: Mandantes de eorundem Statuum consilio & consensu, sub criminis læsæ Maiestatis, Nostræque & sacri Imperij grauissimæ indignationis, ac etiam amissionis feudorum, Dominiorum, & bonorum omnium, gratiarum quoque & omnium Priuilegiorum, à Nobis, & sacro Imperio

Sf.

*Sententia
Cas. ad exe-
quendum pro-
cessum iuris
contra Luth.*

*Luth. pro hæ-
retico ab om-
nibus habend-
us.*

*Crimen læsæ
Maiestatis
in Receptato-
res Luth.*

adestur
vix hacten
-sequantur
-vix hacten
-vix hacten

dependentium, quæ obtinuistis hactenus, aut prædecessores vestri quomodolibet obtinuerunt: necnon proscriptionis ac Banni, & interdicti Imperialis, pœnis: ne quis vestrum præfatum Martinum Lutherum, receptare, defendere, subditare, fouere, dicto, facto, aut scripto præsumat. Quinimmo post elapsam supradictum viginti dierum terminum, contra eum, ubicunq; deprehensus fuerit, & in manu, aut facultate vestra erit iuxta formam imperialis banni procedatis, vel saltem personaliter captum, tam diu custodiatis, donec Nos, à vobis de hac re certiores facti, de legitima in eum prosecutione facienda vobis significemus, & vos tam sancti operis & laboris debita premia, & mercedem etiam vberem, cum impensis ob hanc causam factis, reportetis. Et nihilominus eiusdem Martini complices, adherentes, receptatores, & quomodolibet factores & sectatores (nisi se iniquitatis semitam deseruisse, & Auctoritate Apostolica absolutionis remedium consecutos esse, fidem condignam fecerint) necnon eorum omnia & singula bona, mobilia & immobilia, iuxta sacras constitutiones, ac interdicti & Banni Imperialis legem & ordinem, libere & absque vlla contradictione prosequamini, illosq; & illa capiatis, & in usus vestros, optimo & pleno iure conuertatis. Mādamus insuper vobis omnibus & singulis præfatis, sub eisdem prænominatis pœnis, ne quis Martini Lutheri scripta, à Summo Pontifice Auctoritate sua Apostolica (vt præmittitur) cōnata, aut alia quæcunq; tam Latino quàm Alema-

ad ista
-no da
-vix hacten

*Dannata
Lutheri scri-
pta, vt abo-
leantur.*

nico,
cōpo
mala,
heret
re, l
vel i
re, de
illis c
tes) i
Apo
rū Pa
no e
scilli
rum
cont
scue
rito
te v
fusi
mag
ma
bis
pro
om
da
ni
qu
&
m
su

nico, seu alio quouis Idiomate, ab eo hæcenus
 cõposita, vel in posterum componenda, vtpote
 mala, suspecta, & à Notorio & peruicacissimo
 hæretico prouenientia, emere, vendere, tene-
 re, legere, describere, imprimere, aut describi
 vel imprimi facere: asserere, suscitare, prædica-
 re, defendere, præsumat: non obstante, quod in
 illis etiã aliqua bona (ad fallendas simpliciũ mē-
 tes) immixta essent. In quo præter iustam Sedis
 Apostolicæ sententiã, etiã laudatissimã vete-
 rû Patrum institutionẽ & consuetudinẽ omni-
 no exequendam duximus: Qui Arrianorũ, Pri-
 scillianistarum, Nestorianorum, Euthychiano-
 rum, & aliorum hæreticorum libros, & in illis
 contenta omnia, tam bona quam mala, promi-
 scue exusserunt, & adnihilarunt. Neq; id imme-
 rito. Nam si optimi quicq; cibi, vnus tantũ gur-
 tu veneni (quo humanum corpus læderetur) in
 fusione suspecti, penitus sunt abiiciendũ: quãro
 magis ea scripta, quibus tanta & tam noxia ani-
 mabus venena passim inserta sunt non solũ no-
 bis cauenda sunt, sed etiã (ne aliis noceant)
 prorsus destruenda & corrupenda, atque ab
 omni hominum memoria veniunt obliteran-
 da. Accidit ad id, quod quicquid boni in Marti-
 ni libris reperitur, id antea à sanctis Patribus,
 quos Ecclesia recepit & approbavit, sæpe dictũ
 & sapius repetitum, absque vllius periculi aut
 mali suspicionẽ, legi, & haberi potest,

Ea propter, sub eisdem pœnis omnibus &
 singulis supradictis, vos omnes, & quilibet ve-

Sl ij

*Vetus cõsuetu-
do contra li-
bros hæretico-
rum.*

*Mandatum
imp. de cõburne
dis lib. Luth.*

strum, tam Principes quam alij, ad quos iudicia quomodolibet pertinet ministrare: & alij quicumque in vniuerso Imperio, Regnis, & Dominis nostris constituti, huiusmodi pestiferos Martini libros, tam Alemanicos quã Latinos, impressos & imprimendos, aut etiã manu scriptos, vbicunq; reperiantur (vtpote magnæ scitionis, schismatis, hæreseos, in Ecclesia Dei foemites) diripiendos, & publico igni consumendos, penitusq; abolendos cum effectu curetis, Apostolicisq; Nunciis, seu eorum Commissariis, si operam vestram ad hãc rem requisierint, fideliter & diligenter assistatis: Et nihilominus in eorum absentia, per vos ipsos hæc sic fieri, nostro nomine & iussu, omnino & reipsa facietis. In quo omnibus fidelibus, dilectis, subditis nostris, vt vobis ac Nobismetipsis assistant & parent, tenore præsentium sub eisdem penis iniungimus & mandamus. Verum, quia maxime cauendum est, ne Martini libri, aut ex illis ** excerpta* ** incerpta* mala, suppresso aut etiam mutato auctoris nomine, publicentur. Quia etiam non sine magna animi nostri offensa, multos quoti die videmus & audimus, cum alibi, tum maxime in Germania, componi & imprimi libros, pluribus malis traditionibus & exemplis repletos: & ne non omni astu & dolo, humanæ naturæ hostis, Christianis laqueos tendat multos, passim diulgari picturas & imagines, non in opprobrium modo priuatarum personarum, sed & ipsius Summi Pontificis, & Sedis Apostolicæ

sollicitam contumeliam excogitatas. Ex quibus
 omnibus libris & picturis, Christi fideles in ma-
 ximos, tam in fide quam in vita & moribus, pro-
 prolabantur errores, & non solum priuata odia,
 scādala, & similtates (pro vt experientia docet)
 multis in locis exorta fuerunt: Verumetiam se-
 ditiones, tumultus, rebelliones, schismata, in
 Regnis, Prouinciis, & populis, atque vniuersa
 Dei Ecclesia (nisi prouideatur) iam iam excitā-
 da formidantur. Idcirco, ad hanc perniciosissi-
 mam pestem extinguendam, ex supradictorum
 Electorum & Scatum concordiam animo & sen-
 tentia, omnibus & singulis supradictis, tam im-
 periali quàm hæreditario iure nobis subditis,
 sub iam sepeditis omnibus pœnis præcipimus
 & mandamus, ne quis huiusmodi famosos &
 pestilentes libros, seu quascūque alias schedas,
 scripturas, imagines, picturas, contra Ortho-
 xam fidem, bonos mores, & id quod sancta Ro-
 mana Ecclesia hæctenus obseruauit: Atq; etiam
 inuectiuas criminationes & ignominias, con-
 tra Summum Pōtificem, Sedem Apostolicam,
 Prælatos, Principes. Vniuersitates Studiorum,
 & eorum facultates honestasque personas, cō-
 ponere, scribere, imprimere, depingere, vende-
 re, emere, tenere, habere: aut imprimi, describi,
 depingi, vel vendi facere, quauis arte aut dolo
 audeat, aut attētet. Quinimmo sub eisdem pœ-
 nis iubemus omnibus & singulis supradictis,
 & præsertim iis, qui iustitiæ ministerio præsent,
 vt eiusmodi libros quoscunq; antehac impres-

Sf iij

*Contra scādala
 losas scriptu-
 ras & pictu-
 ras.*

fos, vel posthac imprimendos, necnon etiam manu scriptos, cuiuscunque sint authoris, aut vbiunque locorum per sacrum Imperium, atque etiam nostra hæreditaria Regna & Domina, inueniantur: similiter etiam picturas huiusmodi & imagines, nostro iussu & nomine occupent, diripiant, & publico igni comburant.

*Contra im-
pressores &
Bisshopos
Luth.*

Et nihilominus huiusmodi detestabilem librorum, codicum, schedarum, scripturarum, & picturarum, auctores & inuentores, ac etiam post præsentis mandati publicationem, Impresores, Emptores, & Venditores, qui contra iussa nostra facere præsumpserint (si modo id legitime constiterit) necnon eorum iura, & bona omnia & singula capiant, apprehendant, & detineant, ac iure bono quicquid sibi libitum fuerit de illis disponant: ita, quod de hoc nulli hominum, tam in iudicio quam extra, respondere sint obligati. Atque ut omnis eiusmodi & aliorum errorum occasio tollatur, & ne talia scribitum venena longe lateque diffundantur, sed præclarum imprimendi libros artificium in bonos tantum, & laudabiles usus exerceatur: ex certa nostra scientia, animoque deliberato, ac Imperiali Regiaque authoritate, de maturo supradictorum Electorum, & aliorum sacri Ro. Imp. Statuum, consilio, deliberatione, & vnanimi consensu, volumus & sub Banni & interdicti Imperialis, ac aliis antedictis poenis præcipimus & iubemus, tenore præsentis Edicti, quod vim inuiolabilis legis habere decernimus.

Ne quis de cætero Chælographus, & librorum
 Impressor, aut alius quivis vbilibet per sacrum
 Imperiũ, atq; nostra prædicta Regna & Domi-
 nia constitutus, libros vllos, seu aliã quãcunq; *Mandatum
 de examinan-
 dis libris an-
 tequam excu-
 dantur.*
 scripturã, in quibus de sacris literis, aut fide Ca-
 tholica aliquid vel minimũ tractatur, non habi-
 to prius consensu & voluntate Ordinarij loci,
 aut eius ad hoc substituti & deputati, cum Au-
 thoritate etiam facultatis Theologicæ alicuius
 propinquæ Vniuersitatis, pro prima videlicet
 impressione: Alios verò cuiuscunq; rei, & fa-
 cultatis libros, schædas, & picturas, de cõsensu
 saltem ordinarij, aut eius ad hoc substituti, vilo
 pacto imprimere, vel vendere, aut imprimi, vel
 vendi facere, directe vel indirecte, quoquo mō-
 do præsumat aut attentet. Quod si quis cuius-
 cunq; sit dignitatis, gradus, aut conditionis,
 hanc nostram mentem, decretum, statutũ, legẽ
 & ordinationem, in omnibus & singulis supra-
 dictis, tam Lutheranam, quam impressoriã ma-
 teriam concernentibus, inuiolabiliter obser-
 uandam, vilo pacto, aut quouis quæsito colore
 vel ingenio, contrafacere, aut venire, ausu teme-
 rario præsumperit. Præterquam quod illud irri-
 tũ decernimus & inane, etiam in læsæ Maiestatis
 crimen, ac nostram, & Sacri Imperij grauissimã
 indignationem, proscriptionisque & Banni, ac
 interdicti Imperialis, necnon alias sæpe dictas
 pœnas, s. ipso facto, incurrisse cognoscat. Harũ
 testimonio literarum, Sigilli nostri munimine
 roboratarum. Datum in Ciuitate nostra Impe-
 Sf iij

EDICTVM VVOR. CARO. QVIN. IMP.
riali Vuormacia, die Octaua Mensis Maij, An-
no Domini Millefimo Quingentesimo Vicesi-
mo Primo Regnorum nostrorum: Romani se-
cundo: Caterorum vero omnium Sexto.

FINIS EDICTI VVOR-
MACIENSIS.

ADMONITIO IOANNIS CO-
chlai, in indicem præcedentem libro-
rum Martini Lutheri.



Variis multorum Lutheri opusculorum in Actis
mentio sparsim facta sit: tamen non omnium com-
memoratio fieri potuit commemoratio. Vt igitur habeas generalis
per compendium opusculorum eius cognitionem, opera
precium fuerit, exhiberi tibi ipsius Indicem, quem ad id anno
Domini M. D. XXVIII. In quo commemorat scripta sua no-
minatim & distincte, quotquot adidit ab anno M. D. XXVIII.
usque ad annum M. D. XXVIII. inclusus. Ex quo sane in-
dice conicere licebit, quam grauis, durus, ferox, laboriosusque ac
vehemens sit iste Catholicæ Ecclesiæ Aduersarius, impugnator &
hostis. Qui tot exantlatis scribendo laboribus non est defatigatus:
Quin potius contentionibus tam multis ac diuturnis, maiore vi-
detur recepisse ad conuictandis ac maledicendis vires. In plerisque
enim scriptis, quæ post annum Domini M. D. XXVIII. per-
multa adidit, multo amarulentiore ferocioreque sese exhibuit,
quam fecerat antea: Quemadmodum ex Actis & scriptis eius
vnusquisque intelligere potest. Ceterum Numeri, qui post resti-
tos libros ceruantur appositi, non librorum, sed annorum sunt. Ex
quibus intelligi debeat, quoto anno vnumquodque opusculum eius
aditum fuerit secundum minoris numeri annorum à Natiuitate
Christi seriem.